



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 45. Alii Errores Zwinglii de peccato originali, & Baptismo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

licos ) transubstantiationem admittere  
compellatur.

Sæcul XVI.

A C 1526

§. XLV.

*Alii errores Zwinglii de peccato ori-  
ginali, & Baptismo.*

Præterquam quod Zwinglius realem Christi præsentiam negaret, accusabatur etiam, quod peccatum, ut vocant, originale non admitteret, simulque assereret, *ipsum hoc peccatum, prout est in filiis Adæ, non proprie peccatum esse, sed morbum, vitium, & miseram conditio-* *nem, nilque magis absolum, magisque sa-* *cris literis adversari, quam asserere, quod peccatum originale non solum morbus, sed etiam crimen fit.* Ejusmodi principiis insistens Zwinglius, definit, homines nasci quidem ex proprio amore ad peccandum proclives, non autem peccatores, nisi forte ita dicantur in sensu improprio, quatenus poena peccati pro ipso peccato accipitur; de cetero hanc inclinationem ad peccatum, quæ peccatum esse nequit, omne originis nostræ malum operari asserit Zwinglius; cum vero idem malum æqualiter a singulis hominibus per mortem Christi haud dependenter a Baptismo afferri contenderet, inde etiam inferebat: *Quod Baptismi la-* *vacro nullum prorsus peccatum tollatur.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXV.* G imp

**Sæcul. XVI.** *imo nequidem Paganorum liberi ob origina-*  
**A.C. 1526.** *le peccatum æternæ damnationi alligentur.*

Ubi autem Zwinglio centena sacræ Paginæ testimonia opponebantur, in quibus disertis verbis adstruitur, nos Baptismo salvari, nostraque peccata ablui, jam nodum dissoluisse arbitratur, dum respondet, in hisce locis Baptismum accipi pro sanguine Christi, cuius signum est, adeo, ut per Baptismum ex se nullum peccatum tollatur, nec gratia conferatur: „Sanguis Christi, inquit, remittit peccata, non ergo Baptismus. „Ægre post Julianum Pelagianus, qui Zwinglio deterior sit, penitusque sentiat, reperire poterit; hi enim faltem admittebant, Baptismum adulteris conferre gratiam, atque peccatorum remissionem: Zwinglius vero utrumque negat.

### §. XLVI.

#### *Badense Colloquium contra Zwinglium.*

Cum Helveticæ Tribus nondum hisce erroribus infectæ majus a Zwinglianis, quam a Lutheranis periculum subirent, nihil non agebant, ut urbes suas a nova hac secta præmunirent. Insuper jam dudum Joannes Eckius præsentibus Helvetiorum Magistratibus cum Zwinglio in arenam descendere peroptabat, ut